

VII

IN POPVLVM ROMANVM

*Iambicus*

Quō, quō scelestī ruitis ? Aut cūr dexterīs  
Aptantur ēnsēs condītī ?  
Parumne campīs atque Neptūnō super  
Fūsum est Latīnī sanguinis ?  
Nōn ut superbās invidae Carthāginis  
Rōmānus arcēs ūreret ;  
Intāctus aut Britannus ut dēscenderet  
Sacrā catēnātus viā :  
Sed ut, secundum vōta Parthōrum, suā  
Vrbs haec perīret dexterā ?  
Neque hic lupīs mōs, nec fuit leōnibus  
Vmq̄am, nisi in dispār ferīs.  
Furorne caecus, an rapit vīs ācrior ?  
An culpa ? Respōnsum date.  
Tacent ; et albus ōra pallor īnficit  
Mentēsque percussae stupent.  
Sīc est : acerba fāta Rōmānōs agunt  
Scelusque frāternae necis,  
Vt immerentis flūxit in terram Remī  
Sacer nepōtibus cruor.